

1763. MENSE APRILI. VARASDINI.

*Articuli Generalis, A. 1763. 27. et sequentibus mensis Aprilis diebus,
Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitiss, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundem Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacrae Caesareae et Regio-Apostolicae Majestatis Consilarii Actualis Intimi, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Generalis Campi Mareschalli, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitiss, nec non Tabulae Banalis Legalis Praesidis, pro 27. et sequentibus Mensis Aprilis 1763, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Sextus.

De suspensa Decem Millionum cautione.

Benignum Suae Majestatis Sacratissimae de dato 30. Mensis Martij Anni modo currentis ad Suam Excellentiam Banalem directum Mandatum lectum publicatumque fuit, quo mediante Sua Majestas Sacratissima clementer intimare dignata est, mutatis medio tempore circumstantijs ulteriorem circa mutuandos decem Milliones manipulationem usque aliam benignam resolutionem Regiam sisti.

Articulus Nonus.

De rectificando Catastro Regni.

Siquidem in extradatata Comitatus catastra nonnullas irrepsisse difformitates compertum sit, decreverunt Domini Status et Ordines: ut Domini Comitatum Perceptores pro 27. futuri Mensis Maji Zagrabiam convenient, et cum interventu Dominorum Regni Vice-Bani et Protho-Notarij, uti et moderni Supremi Exactoris, rectificationem praemissorum catastrorum instituant, in celebranda proxima Regni Congregatione referendam.

Articulus Decimus Tertius.

De peragenda emolumentorum Confiniariorum conscriptione.

Illustrissimo Domino Generali ab Orssich medio tempore ex clementia Summi Principis Brigaderio Confiniorum Banalium renunciato, ad peragendam jam